

CORNELII TACITI
DE ORIGINE ET SITU
GERMANORUM
LIBER

GERMANIA omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno **1**
et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu
aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus
et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis
5 quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit.
Rhenus, Raeticarum Alpium inaccessio ac praecipiti vertice **2**
ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali
Oceano miscetur. Danuvius molli et clementer edito montis **3**
Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec in Ponti-
10 cum mare sex meatibus erumpat; septimum os paludibus
hauritur.

Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum **2**
gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim
sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et
15 immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab
orbe nostro navibus aditur. quis porro, praeter periculum **2**